

**05**

**A**

**1052**



DISPVVTATIO ETHICA  
AFFECTIONIBUS  
IN GENERE,  
*Quam*  
Gratioso DEI Afflatu,  
&  
Amplissima Facultatis Philosophice permisso, in Illustrissima & celeberrima  
Wittebergensi alma,  
PRÆSES  
M. MICHAEL TRONICKE,

# Elect. Alumnus.

*Reponente*  
**JOHANNE Seufried /**

## **Lucena-Misnico.**

*Publico sed placido Eruditorum examini sifit*

Ad diem 6 Aprilis  
Horis pomerid. In Auditorio Minoris.

WITTENBERGÆ  
TYPIS JOHANNIS HAKEN  
M. DC. LIII.



05 A 1052





## JOVA JVVA.

**H**AUD IMMERITO ARDUA, ATQ; OPEROSA AFFECTUUM MODERATIO VIDETUR HERACLITO LIB. 2. ETHIC. C. 2. & LIB. 1.  
U. U. C. 9. CUM, AD STIPULANTE QUINTILIANO L. 6. P. 256.  
AFFECTUS TRAGICÆ DISPOSITIONES & INSTINCTUS, INDOMITĀ  
FERITATE, SI RATIONI NON CONCEDANT, TRUCULENTIORES APPELLEN-  
TUR. NEMINI AUTEM NON CONSTAT, QUAM DIFFICILE SIT INDOMI-  
GAS FERAS CICUTARE & DOMARE; QUANTO DIFFICILIUS PUTEMUS ES-  
SE, INCONTINENTES & INGENIO SUO INDULGENTES, SEMPERQ; IN-  
PEJUS NITENTES, AFFECTUS ITA TEMPERARE, UT RATIONI SE SUBDANT.  
UT INDE RECTE IS FORTIOR, QUI SE, QUAM QUI FORTISSIMA VINCIT,  
AUDIAT, & DIVINIS POTIUS QUAM MORTALIBUS ANNUMERARI PRO-  
MEREARUR LIB. 7. ETHICOR. C. 1. LIB. 10. ETHIC. C. 7. PROUT LACO-  
NIIBUS CERNERE DATUR, QUI NULLA ALIA, QUAM VIRTUTUM EXERCEN-  
TARIUM VOLUNTATE CAPIATUR, & AFFECTUUM MODERATIONE DELE-  
CTETUR UNICÈ. PLATO CUM INTERROGARETUR, QUID TANDEM SIBI VO-  
LUPE ESSET, RESPONDIT: SE SUMMAM VOLUNTATE CAPI, DUM MODÒ  
À NULLA CAPIATUR. HOC ENIM ESSER QUOD OMNIA PRETIO EX-  
GELLERET, MIRABILESQ; PURITATIS & SVAVITATIS DELECTATIONES AF-  
FERRET. SED SI NULLA VOLUNTATE CAPI MAXIME DELECTATUR,  
MULTO MAGIS MODERATIO AFFECTUUM DELECTATIONES AFFERET IIS,  
QUI ILLIS NON INDULGEANT, IMÒ MODERARI STUDEANT. QUED UT  
ETIAM À NOBIS FIAT, IN AFFECTUUM DEFINITIONEM & CAUSAS IM-  
QUANTUM NOBIS ASSEQUI DATUR, INQUIRE LUBET. QUORUM  
DEFINITIO ITA SE HABET:

§. 1. AFFECTUS SUNT PASSIONES APPETITUS SENSITIVI IN CARDE  
BONUM PERSEQUENDI & MALUM FUGIENDI.

§. 2. IN DEFINITIONE ETYMOLOGIA AFFECTUUM CONSIDERA-  
NDA EST. AFFECTUS ENIM AB AFFICIENDO DICUNTUR, DUM APPETI-  
TUM SUBITANEIS PASSIONIBUS OBRUUNT, & CORPUS PERNICIOSIS, SI  
MEDIO MODO SE NON HABENT, MUTATIONIBUS SUBJICIUNT, UT  
NON TALE, FATEENTE CICERO, QUALE ANTEA ERAT, HABENDUM  
EST.

A 2

§. 3. Ety

§. 3. Etymologiam excipit æquivocatio, de qua op-  
ponens & respondens prius convenient, quam disputatio-  
nem aggrediantur, quale vocabulum velint esse; an æquive-  
cium an Synonymum l. 6. Topic. c. 6. p. 323. Ut et facilius, id  
de quo agitur in Disputatione, si explanatum sit, quot mo-  
dis vocabulum sumatur intelligatur l. 1. Top. c. 14.

§. 4. Qued sit, si videamus quot modis contrarium  
ejus dicatur. Contrariorum enim contraria consequentia  
sunt. l. 1. Topic. c. 13. p. 210. Jam *εἰναι θῆτος* operationis ani-  
mæ sentientis denotat carentiam, sive stuporem, quo labo-  
rant illi, qui nullo percipiendi affectu gaudent l. 3. Eudem:  
c. 2. nec suavitate aliquâ delectantur l. 2. Ethic. c. 2. p. 23. si ve-  
rò stupor carentiam significat, utique affectus potentiam  
denotabit, quæ stupori contraria est; sic in Physicis affectū  
esse, denotat ægrotum, vel morbo laborantem. vid. Probl. A-  
rist. p. 910. Et deinde qualitatem, secundum quam alterari  
contingit. In Metaphysicis sumitur pro abstracto, cuius,  
ut & concreti est eadem ratio, cum sint conjugata. Ubi af-  
fectus sive affectio sunt habitudines Enti per se competen-  
tes, idq; denominantes & contrahentes. l. 2. Top. 1. l. 5. Top.  
c. 3. In Politicis affecti dicuntur judices munieribus cor-  
rupti l. 2. Rhet. p. 650. dum plus justo cupiditati Personarum  
indulgent singulari. Hinc ita infero: Quicquid est in mul-  
tis disciplinis, illud est æquivocum lib. 1. Top. c. 14. Atqui  
affectus in multis disciplinis considerantur. E. In Ethicis  
affectus is dicitur, qui aliquem singulari amore prosequitur:  
In Mathesi affectiones quantitatis considerantur; In Logicis  
est Passio facile ac citò transiens.

§. 5. Äquivocationem sequitur Synonymia, quæ  
vel in pluribus nominibus unam eandemq; rem denotanti-  
bus consistit: Ut Ensis & gladius; indumentum & vestimen-  
tum, affectus, affectio & appetitus motus. l. 2. Top. c. 2. l. 3.  
Phys. c. 3. l. 3. de anim. t. 54. ut & *σοργὴ* quod non perturba-  
tionem significat, ut stoici volunt? cum perturbatio sit poti⁹  
CON-

consequens affectuum in excessu aut defectu peccantium.

Vid. Valla l. 4. Elegant. c. 78. vel etiam Synonymia in ratione alicujus nominis ex æquo aliis inferioribus speciebus competente habetur; sic ratio Passionis ex æquo competit iræ, affectui & amori. l. 6. Top. c. 6. p. 363. ita tamen ut Passio semper pro affectu à multis ponatur. Quibus non accedit. August. l. 2. de Civit. Dei: Expressius, inquiens, πάθος passio redditur, quām affectus, cui melius responderet σέργειν, quod de naturali amore & inclinatione, quæ non facile solvitur, dicitur.

§. 6. Ut ita facilè constet, quod Passio sit genus affectuum, cum his ratio ejus ex æquo competat ratio Passionis, quod facilè accidat transat l. 1. de anim. c. 1. t. 17. 18. Hinc l. 4. Top. c. 1. & l. 3. de anim. c. 4. dicit Philosophus: Si quis unius speciei genus esse ostendat, simul omnium esse doceat. Jam verò ex Inductione constat, quod Passio sit genus iræ, amoris, quæ sunt species affectus. Genus enim generis, est etiam genus speciei. Atqui Passio est genus affectus, affectus verò est genus iræ, amoris & reliquarum specierum, E. & Passio erit genus specierum sub genere subalterno contentarum. De quo enim species tanquam genus dicitur, de eo etiam genus & generis genera omnia in quid prædicantur. l. 4. Top. c. 1. p. 304. §. Δ. De quo Prudentia dicitur, de eo etiam genus Prudentiæ dicitur. De quo Virtus, de eo etiam genus virtutis dicendum est. Cum genus inferius & superiorius sint ejusdem divisionis prædicamentalis l. 4. Top. II. pag. 302. Quæ omnia affectui competunt. Affectus dicitur de speciebus, de Affectu verò prædicatur Passio, quod est Genus generis, & superiorius respectu illius. Ut ita ex æquo de Passionis ratione affectus & omnes ejus species participent, & quidem casu, quod passioni propriè convenit, dum casu quis patitur, irascitur & ad aliquid amandum vel fugiendum incitatur. Ex quibus facilè appareat, quod Passio sic

genus affectuum non perturbatio, ut Stoici volunt, qui eos, opiniones, & prava judicia esse volunt.

S. 7. Nec est, quod objiciat quis & dicat ; Affectus sapientis motus I. 1. de Anim: c. 1. potentias & facultates nominari I. 1. Ethic. c. 13. l. 2. Ethic. c. 2? sed sciendum, quod Philosophus ex notioribus nobis ad notiora natura procedat, ex notioribus enim semper docendum & discendum est. I. 1. Phys. c. 1. l. 2. Ethic. c. 2 p. 23. l. 1. Eudem. c. 1. & 7. lib. 7. Ethic. c. 2 l. 5. Eudem. cap. 2. Tali methodo utitur Phil. I. 1. de anim: c. 1. T. 2. & 3. p. 442. dum iram Physicè ac Dialecticè describit : quod scilicet ira in Physicis sit fervor sanguinis circa cor , in Dialecticis verò : Appetitus recontristationis , sive appetitus motus vindicandi l. g. Top. c. 1. quarum illa notior nobis est definitio quam hæc, cum ex fervore facile appareat ira. Hic verò definiendi modus observatur & adhibetur in iis, in quibus ab affectis ad causas rerum earumq; cognitionem procedimus, & pervenimus, ac per manifestiora nobis, incognita naturæ indigitamus. Ut in pueris certiore datur, qui omnes viros prius patres nominant, quam ad notiora natura vocabula veniant, & addiscant I. 1. Phys. c. 1. Sic notior est motus, quam passio, licet alias non multum discrepent, si continuitas non attendatur, quæ passioni, prout hoc loco consideratur, non attribui potest I. 2. Eudem. c. 3. De reliquis I. 1. dem judicium esto, quæ omnia distinctioni supra data dirimi possunt. De genere qui plura desiderat I. 4. Top. adeat, in quo ea, quæ pro destruendo & adstruendo genere faciunt inveniet,

S. 8. Generi succedit Differentia , quæ cum illo quamcumque definitionem ingreditur I. 1. Top. c. 7. Nostræ verò Definitionis differentia est : Persecutio boni honesti conformitatem cum rectâ ratione habentis ; nec non utilis, & iucundi cum appetitu convenientis, & voluptatem afferentes ; & fuga mali, quæ propulsat & prohibet, ne contraria malum

malum inferant, quale bonum est medicina, quæ prohibet  
he morbi inferantur, & sanitatem conservat: quam sequi-  
tur virtus, quæ hanc utilitatem assert affectibus, dum effi-  
cit, ut à vitiis præserventur & molesta propulsentur atque  
voluptate afficiantur, si eo, quo pat est modo, se habeant, &  
non à præscripto rationis recedant; sed voluntati ut servus  
Domino obdiant, ejusq; mandata capessant & prosequan-  
tur l.2. Ethic.c.2.l.1. μ. μ. c.7. Quod præprimis affectibus &  
appetiti competit & incumbit. Hinc Philosophus appetituī  
naturale & agnatum esse, appetere bonum, & depellere sine  
prohibere malum, ne consumatur, dicit l.7. Ethic. 1.1. μ. μ. c.  
7.p.128. Quod verò alicui naturale est, illud essentiam &  
differentiam eīg constituit. Jam appetere & persequi bo-  
num appetituī & affectibus naturale est, fugere corruptionem  
& conservationi studere, eamq; appetere; cujus enim con-  
trarium est fugieundm, illius alterum cū amplectendum l.7.  
Rhet.c.6.p.620. et.p.619. Ut ita ex actione affectuum essen-  
tiā haud obscure cognoscere liccat; qualis enim est actus  
uniuersusque rei & operatio, talis est etiam essendi ratio e-  
jus, cū haec illa notificeat, & character ejus sit, qui affectus  
ab aliis omnibus facultatibus distinguit, Et illis differentiā  
exhibit, dum per actiones ab intellectu & voluntate distin-  
guuntur. Actiones enim, mores, & vitæ genus, quodvis distin-  
gvunt & differentias rerum exhibent lib. 1. Histor: Animalz  
c.1.p.827.lib.6.Ethic.c.6. p.352. sic actio visus, gustus distin-  
guit, visum & gustum ab aliis sensibus & differentiam eorum  
indicat, ut quid intersit inter species ex uno genere proma-  
nentes cognoscamus lib.1. Top.c.14. Alias in quo conveni-  
ant atque discrepent, inquirere possumus per dissimilitudi-  
nes & convenientias, quas affirmatio & negatio præstant, cū  
semper affirmativa differentia positiva etiam oppositam ne-  
gativam requirat lib.6. Top.c.6. quia simul affirmari & nege-  
ri de codem non possunt l.6. Topic. εγ:

S. 9. Nee



§. 9. Nec impedit, quod Differentia affectuum si-  
cavil affirmativa & negativa esse videatur in eodem subjecto,  
de quo tamen non simul affirmatio & negatio institui pot-  
est? Cùm impossibile sit idem simul esse & non esse l. 3. u. c.  
4. Ita male differentia linea ponitur, quod sit longitudo la-  
titudine carens? cum ajetia & negantia de eadem re dici no  
possint, ut ita non recte se habeat differentia linea? At in  
Definitione Affectus res aliter se habet, in qua differentia a-  
lia atque alia objecta respicit, & se successivè habet, ut in De-  
finitione affectuum videre est. Hujus generis definitiones  
plures dantur in relate oppositis, & privatis, quæ habent  
differentias negantes sèpissimè; cùm & ipsæ sint negativæ; ut  
cœcus est, qui non habet visum. Ut & in contrariis; sic E-  
nunciatio est oratio verum vel falsum significans. Bonum  
est quod potest recte agere & pati. Sol est astrum quod lique-  
facit & indurat; Accidens quod potest abesse & adesse sine  
subjecti interitu. Quæ omnia cum definitione affectuum  
optimè convenient, in quibus diversa objecta habentur, circa  
quæ virtus subjecti occupata est, ut in sole apparer. Alias  
non licet speciem loco differentiæ poneret in definitione; et  
cum non quale sed quid res sit indicet, quod ii faciunt qui  
convitium definiunt, quod sit contumelia cum irrisione? Ir-  
risio enim est species contumeliaz, quæ non potest esse ejus  
differentia. l. 6. Top. c. 3. p. 345. §. F. l. 2. de cœlo' c. 3. Nec mortale  
recte à Porphyr. in Prædicab. p. 20. & 21. pro differentiâ in re-  
spectu Angelorum ponitur? Cum sit quid pricativum, quod  
non constituit essentiam hominis, sed eam potius corrumpit,  
plura de differentiâ videantur lib. 6. Top. ex quo eam de-  
struere & adstruere licet.

§. 10. Differentiæ succedit causa efficiens, facultas cognoscens  
& appetens l. 3. de anima c. 10. quæ specie objecti à sensibus ex-  
ternis, qui sunt receptaculum quasi rerum & imaginum ob-  
jectarum l. 2. de animâ c. 10. immissam, à sensu communi ve-  
rò re-

receptam , & à Phantasiā oblatam cognoscit, & dijudicat ,  
quod intellectui incumbit , qui phantasmata discernit , &  
voluntatem ad eligenda movet, atque affectus instigat , ut ea  
perseguantur vel fugiant. Hinc ita : Quicquid movet alterū  
ad aliquid efficiendum illud causa meritò istius motus cen-  
seri debeat. Atqui facultas cognoscens sive intellectus id  
facit. Ergò. Cui id opus naturā constitutum est , ut objecta  
dijudicet & cognoscat, quod nulli alii facultati competit , si-  
quidem quælibet pars animæ naturā ad opus suum peragen-  
dum ordinata est , lib. de mot. animal. c. 7. c. 8. c. 10. & l. 3. de a-  
nim: c. 3. t. 59. Ja quæcūq; facultas instigat affectus ad persecu-  
tionem boni, & fugam mali , illa eorum causa est. Atqui  
intellectus sive facultas cognoscens id præstat , in intellectus  
non cognosceret objecta non appeti possent : cùm ignota  
nemo curet , neque appetat , ut ita sine præviā cognitione  
affectus non fieri possint. Igitur intellectus etiam compa-  
ratur Domino , qui servis præcipit , quid facere & omittere  
debeant l. i. Ethic. c. 13. p. 20. S. D. Hinc Philosophus cognitio-  
ni & imaginationi rerum cognitarum potestatem tribuit. l.  
2. μ. μ. c. 6. p. 223. lib. 2. de animi : c. 6. Cui calculum Quintilia-  
nus suum adjicit lib. 6. c. 2. dum cognitionem & Phantasiā  
describit ; quòd sint affectiones , per quas imagines ita præ-  
sentes sunt animo, ac si res ipsas haberemus, sic imagines ter-  
ribilium faciunt & efficiunt in nobis horrorem, & terrorem.  
Igitur sect. 6. Problematis p. 877. quærit Philosophus quî fiat , &  
quænam sit causa horroris, qvum aliquem fecari , torqueri ,  
decollari videamus , aut ferram acui audiamus , imò quæ  
sit causa , quòd dentes hebetescant , cum aliquis acida co-  
medat , quod in totum Philosophus imaginationi & co-  
gnitioni attribuit , quæ res naturales tam valdè imprimāt.  
Licet in brutis aliter eveniat , quæ facultate cognoscendi  
destituuntur , nisi quis intellectu ea prædicta esse velit. Ut  
in formicā videre est , quæ simulacra Prudentiæ satis præ-  
se fert , dum grana , cui vis seminalis inest , corrodit , ne

pullulent. Problem. Phil. p.79. ut illas unā cum apibus etiam multis sanguineis prudentiores Philosophus judicet. l.2.de part. Anim. c.4.lib.1.Met. c.1.l.6.Ethic. c.2.l.2.Phys. c.8. p.471.& l.de Mem. c.2.Verum per instinctum naturalem id fieri censet. Similiter se res habet in avibus marinis, quæ tempestate oriundâ mare relinquunt, & ad deserta loca se conferunt. Al. l.3. de animâ t.155.Havenreut. in Comment. de animâ c.3.p.305. Quæ cùm potius ad Physicam, quàm ad Ethicam spectent, relinquo, & in tantum de facultate cognoscendi & appetendi híc ago, in quantum satis est ad ea, quæ ab Ethico desiderantur.l.1.Ethic. c. 13. p.19.

§. II. Cùm verò causa efficiens agat in materiam per formam ad finem obtainendum, ad causam materialem accedemus, quæ est cor, in quo causa efficiens est. l.de mot. animal. c.8. Cor enim est principium motûs, sine quo & spiritibus naturalibus nulla fit actio l. de mot. animal. c. 5. & 8. l. i: μ.μ.c.9.l.3. de anim: c.10. siquidem in eo facultas cognoscens appetitum cum spiritibus naturalibus movet, ut id, quod sibi conveniens est mediante temperamento & aliis concurrentibus causis appetat, qui, si admonitioni intellectus & voluutatis concedit, medio modo se habet l.1.Ethic. c.13.p.20. si verò eidem se opponat, perturbatur à spiritibus cor, qui in se agendo ad pulpitandum & effervescendum id commovent, & vim ob circumstantes frigus erumpendo eidem inferunt, ut tempore hyberno in arboribus excavatis fieri solet, & in incontinentibus appetit l.2.Eudem. c.1.p.255. quorum appetitus à brutis nil differt l.3. de anim: c.11.dum affectibus concedunt, & pro libitu faciunt, quicquid volunt l.1.μ.μ. c. 7. ut ita sensitivus apud illos appetitus prævaleat rationali, qui convenientia appetit, & irascibili, qui nociva fugit. l.1.μ.μ.c.7.l.2.de animâ t.27. lib.1.Ethic. c.4.p.8.& 12.l.3.de animâ c.7.l.2.Ethic. c.5.l.2. Top. c.3.Piccol.l.de defin.rerum. p. 369.

§. 12. Formalis causa cum differentiâ coincidit,  
de



de quâ cum §. 8. egerim, hîc nolo actum agere, sed statim ad causam finalem me converto, quæ omnia affectibus prædicta eò pugnaciùs atque animosiùs in actiones suas fert, & eò vehementiùs ad eas subeundas incitat, ut perfectionem ita consequantur, & in pletionem percipiant affectus. Alias enim frustrâ à naturâ dati essent, si non certum haberent finem, & præservarent hominem à vitiis inclinationibus. Ut ira præservat hominem ne libidini indulgeat, & Venereis cogitationibus succumbat. l. 4. Ethic. c. II. §. F. l. 7. Ethic. c. 15. p. 125. sic timor facit, ut vitemus pericula, & observemus honesta, de quibus in sequentibus. His unum vel alterum Problema adjiciemus, quorum est:

I. Utrum affectus vitiis sint nec nè? Ad quod Respondeatur negando. Ut verò argumenta ad hoc problema destruendum idonea adhibeamus, ante omnia videndum est, ad quemnam locum Topicum pertineat; cùm omnis propositionis quæstio, aut proprium, aut genus, aut accidentis, aut definitionem declareret, atque ad alterutrum horum referri debeat, l. I. Top. c. 3. & 4. p. 260. Ergò etiam hoc Problema vel ad genus vel ad accidentis referendum erit. Non verò ad illud, cùm non quæratur quid sed quales sint affectus. Quale verò ad locum Top. 3. Accidentis refertur, ex quo ita argumentari possumus 1. Quicquid est ex genere bonorum, illud non est vitiosum l. 3. Top. c. I. p. 291. Atqui affectus si Physicè considerantur, sunt in genere bonorum, quod facile nemo negaverit, nisi in Deum ipsum injurius esse velit. 2. Quicquid est causa boni alieujus adipiscendi, illud per se nō est malum. Atqui affectus sunt causa. Ut in præcedenti §. dictum fuit. Ergò. 3. Quicquid est in re meliori illud non est vitiosum. Atqui affectus sunt inanimâ quæ est melior corpore. E. 4. Cujus contrarium est malum illud non est vitiosum, atqui stupidam esse est malum. Ergò affectum esse erit bonum. 5. Quicquid facit ad Summum Bonum obtinendum illud non est vitiosum. Atqui affectus si medio se habe-

habent modo, id faciunt. Ergo. 6. Quicquid ex accidente malum est, illud non est vitiosum per se, quemadmodum Stoici volunt, quod per se sint pravae opiniones, quae non nisi ad malum incitarentur quod tamen ex accidente fit, quatenus rationi repugnant, & eidem obedire recusant. His probabilibus possunt ex Ethicis & Physicis alia adjungi, quod scilicet sint potentiae naturales & motus l. 7. Ethic. c. 2. l. 2. Ethic. c. 4. qui omnibus a natura competit, impletionem verò & perfectionem ab objectis habent. Congenitus enim est omnibus jucundorum sensus. l. 3. Eudem. c. 22. Rhet. c. 1. Ad objectiones ex libro 2. Ethicor. c. 4. respondetur & l. 2. Ethic. c. 2. p. 23.

II. Utrum affectus praestent objectis necnè? Quod negatur si idem ex lib. 3. Top. & quidem cap. 1. ex quo ita inferre licet; Omnis finis est praestantior iis, quae sunt ad finem. Atqui objectum est finis. Ergo. 2. Ex cap. 2. concluditur de praestantiâ alicujus rei hoc modo: Ex quo majora bona sequuntur illud praestat eis, quae talia non habent. Atqui ex bono sequitur voluptas, quae melior perturbatione. 3. Quicquid eget alio, hoc verò non eget illo id est praestantius. Jam affectus egent bone, hoc verò non eget illis. 4. Quicquid est exceptandum illud est praestantius eo, à quo appetitur. Atqui bonum objectum. 5. Cujus prætermissio est fugienda illud praestantius est eo, à quo prætermittitur. Atqui boni appetendi prætermissio est fugienda. Ergo. Tantum hanc vice plura in posterum Deodante. Qui sit perpetuus, Maxima laus, & honos

F I N I S.




DS A 1052



101700





DISPV TATIO ETHICA  
DE  
**AFFECTIBUS**  
IN GENERE,  
*Quam*  
Gratioso DEI Afflatu,  
&  
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ permisso, in Illustrissima & celerrima  
VVittebergensi alma  
**PRÆSES**  
**M. MICHAEL TRONICKE,**  
Elect. Alumnus.  
*Respondente*  
**JOHANNE Seyfried /**  
Lucena-Misnico.  
*Publico sed placido Eruditorum examini sifit*  
*Ad diem 6 Aprilis*  
*Horis pomerid. In Auditorio Minoris.*

WITTENBERGÆ  
TYPIS JOHANNIS HAKEN  
M. DC. LIII.